



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2503. Kaiser Karl V. nimmt das neue Stift zu Halle in seinen Schutz und
verordnet demselben den Erzbischof Kardinal Albert zu Magdeburg und
den Kurfürsten Joachim von Brandenburg von des Reiches ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2503. Kaiser Karl V. nimmt das neue Stift zu Halle in seinen Schutz und verordnet demselben den Erzbischof Kardinal Albert zu Magdeburg und den Kurfürsten Joachim von Brandenburg von des Reiches wegen zu Schutzherrn, am 20. Mai 1521.

Carolus Quintus, divina favente Clementia electus Romanorum imperator, semper augustus ac Rex Germanie etc. Recognoscimus et tenore presentium profiteamur, Quod cum nos ad hoc principatus et imperii culmen ea potissimum ratione divina clementia eveci simus, ut pacem et tranquillitatem omnium fidelium nostrorum procuremus, et precipue ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum omni cura incumbamus, ut ipse et earum membra et subditi in privilegiis, libertatibus, concessionibus, immunitatibus ac juribus ipsorum conserventur illese, itaque cum Reverendissimum in Christo patrem, dominum Albertum, tituli sancti petri ad vincula presbiterum cardinalem et Archiepiscopum Moguntinensem et Magdeburgensem, Primate, Administratorem Halberstadtensem, Sacri Romani imperii principem electorem, et per Germaniam Archicancellarium, Marchionem Brandenburgensem etc. Amicum et Consanguineum nostrum charissimum ob bene merita sua in nos in singulari gratia et commendatione nostra habeamus, Volentes ejus intuitu et ex peculiari affectu ac devotione, quam gerimus ad collegiatam ecclesiam Sancti Mauricii et Magdalene, nuncupatam vulgariter ad velum aureum, a Reverendissima paternitate sua fundatam, erectam et institutam in oppido suo Hallis, Prepositi, Decani, Capituli et singularum personarum atque ipsius ecclesie omnium et singulorum privilegiorum, immunitatum, libertatum, gratiarum et indultorum, que et quas tam ex canonicis et civilibus sanctionibus et sancta sede apostolica, quam a nobis ac aliis principibus et christifidelibus habuit et obtinuit, indemnitati et quieti consulere, motu proprio, animo deliberato, sanoque principum, procerum et fidelium nostrorum accedente consilio, et de certa nostra sciencia, prefatum Reverendissimum Cardinalem, tanquam Archiepiscopum Magdeburgensem, ac illustrem Joachimum, Marchionem Brandenburgensem, eorumque successores et heredes in perpetuum privilegiorum, libertatum, immunitatum et jurium quorumcunque predictorum Prepositi, Decani, Capituli, singulariumque personarum ecclesie prefate Conservatores in solidum vice et nomine nostri duximus eligendos et deputandos, et tenore presentium eligimus et deputamus, eisdem et cuilibet eorum omni serio et sub nostre etiam et sacri Imperii gratie obtentu ac infra scripta pena precipientes et mandantes, quatenus ipsi aut alter eorum, qui super conservatione, tuitione et defensione jurium, libertatum, privilegiorum et gratiarum ecclesie prenominate et illius personarum ut supra singularium requisitus seu requisiti fuerint per eosdem Prepositum, Decanum et capitulum communiter vel divisim, vel per suos eorundemque successores togens quotiens se locus obtulerit, eisdem Preposito, Decano et Capitulo efficaci defensione nostra imperiali auctoritate assistat, non permittendo eosdem in bonis, juribus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus ad sepedictos Prepositum, Decanum et Capitulum et alias per

sonas suas spectantibus et eisdem rite concessis et concedendis per quempiam indebite quomodolibet molestari, inquietari seu perturbari, vel eis gravamina, damna seu injurias irrogari, sed ipsos ex nostre romane Cesaree celsitudinis potestate defendere, fovere, manutenere, studeant et tueri. Occupatores, detentores, molestatores, presumptores et injuriatores predictorum, si qui fuerint, nec non contradictores quoslibet, rebelles, inobedientes, cohercendo et contra premissa seu ipsorum aliqua temere in nostre majestatis ac prefatarum ecclesie et personarum et jurium suorum, ut supra, lesionem facientes, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis aut condicionis extiterint, quandoque et quotiescunque opus fuerit, etiam ad penas in predictis privilegiis et concessionibus ac confirmationibus predecessorum nostrorum et nostris expressas et contentas procedant, ipsosque vice et auctoritate nostra Cesarea compescant et compellant, ut a turbationibus et molestationibus hujusmodi universis penitus desistant, invocato ad hoc, si opus fuerit eorum auxilio, quorum viderint invocandum, hoc nostro Cesareo perpetuis valituro temporibus mandantes et precipientes edicto, ut omnes et singuli principes tam ecclesiastici quam seculares, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Nobiles aut plebei, in quacunque dignitate, officio aut statu constituti sint, quandoque et quotiescunque a predictis vel altero Conservatorum requisiti fuerint, eisdem et successoribus ac heredibus eorum nostro nomine loco et vice assistant, faveant, opitulentur atque obtemperent, dictamque ecclesiam ejusque personas, bona, jura atque privilegia, gratias, libertates, ut premititur, efficaciter defendendam et tuendam suscipiant, nec in contrarium quicquam quovis quesito colore et ingenio directe vel indirecte attentare presumant, in quantum nostram et sacri Imperii gravissimam indignationem nec non penas in prefate ecclesie privilegiis contentas et expressas ipso facto irremissibiliter incurrendas effugere voluerint, Harum testimonio literarum Sigilli nostri appensione roboratarum. Datum in Civitate nostra Imperiali Wormatia, die vicesima mensis May, Anno domini Millesimo quingentesimo vicesimo primo, Regnorum nostrorum Romani Secundo, ceterorum vero Sexto.

Ad mandatum Dom. Imperatoris proprium.

Nicolaus Ziegler, Vicecancellarius.

Dreibaupt, Beschreibung des Saalfreies I, 904.

2504. Des Kurfürsten Leibgedingsbrief für Caspar von Maltitz's Gattin, Verwesers zu Croffen, vom 20. Juli 1521.

Wir Joachim, Churfurst etc., Bekennen etc., das wir auff vleissig bete vnd ersuchen vnnsers vorwesers zw Croffen, Raths vnd lieben getrewen Caspar von Maltitz, katherinen, seiner eelichen hauffrawen, die zwey dorffer Geselghar vnd